



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Imploratio auxilii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** nidus tanto labore, tanto studio, tam diuturnus, & posteris quoque usui futurus ædificetur: nam si parentes intereant, eam adeunt hæreditatem filii, vel eam artem à parentibus edoceri, unde sibi necessaria comparare possint, norunt. Agnoscit hoc Basilus, ubi ait: *Nemo paupertatem deplorat suam, in Hexam. neq; ut de sua vita desperet, aliumque jam esse de ipsa putet, cui nihil est de patrimonio relictum: non enim desunt artes & industria, quibus si nos exercere voluerimus, neque Hirundinibus deteriores esse, vitam commodè agere valeamus.* Hujus vero hieroglyphici argumentum ex eo desumptum, scribit Horus, quod uti superius dictum, Hirundo usque adeo filiorum commodis studet ut vel peritura, dum aqua perfusa, & pulvere volutata capturæ periculum adit evidentissimum, nihilo secius sedem filiis paratura, opus perficere conatur.

## IMPLORATIO AUXILII. CAP. XXVI.

**I**nvenias apud Xenophontem (quisquis ille fuerit) eo libello, qui titulo De æquivovis circumferatur, per aves has in nido ore patente pictas, populos auxilium implorantes hieroglyphicè significari: nidus enim patriam, os vero ad apertum clamorem, & implorationem ostendit. Hic illud in Ezechie Cantico: *Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo.* Unde admodum erudite Plautus Hirundines obicit in somnium Demonæ, quas Simia sollicitabat, qui sit filium statim penes lares suos in phano Veneris implorantem, inventurus: illa enim, Hirundinum more, quodammodo transfretaverat, & ad consuetas sibi sedes, domum quidem paternam, delata erat.

## AMICUS INUTILIS, CAP. XXVII.

**A** pud aliquos Hirundinem pro amico poni, tum inutili, tum ingrato & perdifficili, comperias: quippe qui moribus nostris, & familiaris vitæ rationi difficulter assuescat. Hirundo siquidem nostro magis quam ulla alia volucris contubernio freta, diu nobiscum versata, nostra omnium maxime familiaris atque domestica, nullam tamen nobis utilitatem affert, numquam mansuescit cicuraturve. Proinde verno, hoc est, tranquillo adventante tempore, nos invisit, & quasi in officio futura præsto est: hyeme vero, hoc est, turbido cælo instante, adversaque fortuna ingruente profugit: qua similitudine utitur ad infidam amicitiam notandam, author Rhetoricorum ad Herennium. Eaque de causa Pythagoras eas à testis ablegavit: id scilicet inuere volens, hujusmodi notæ homines evitandos, ac nullo pacto consuetudinem & amicitiam cum illis ineundam esse. Id quod Plutarchus Symposiacè octava decade latius explicavit, quæ, ne multa congeramus, brevitas causa præterimus.

## VERNUM TEMPUS. CAP. XXVIII.

**I**llud vero nulli non innotuit, Hirundines plures convolantes à mari verni temporis indicium esse, Ex Aristotele in Eubiscomma in C. Verrem, ubi dicit: *Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonia sinu in provinciam profectus est. Veneris nomine quassisse videtur?* Alludit, inquit Asconius, ad nomen, quod Hirundo, quam Chelidona Græci vocant, Veris, id est, temporis verni sit amica: illa enim adulto semper vere præsto est: totamque apud nos æstatem agit. Atque hoc illud est quod Horatius ait: *Cum Lephyris & Hirundine prima.* Et apud Aristophanem, Equitibus, *παιδες ἔχ' ὄρεθ' ἄρεθ, ἢ α χελιδόν.* Apud Athenæum legas Rhodiis præcipuum fuisse morem sub tempus vernum Hirundinem invitare, idque *χελιδονίζον* dicebant. Apud Aristophanem Hirundo chænrm vendere, thestrum emere suadet: præteriste quippe hiemem admonuit, adesse vero æstatem.

## GARRULITAS. CAP. XXIX.

**C**æterum D. Hieronymus & Cyrillus cum Aristotele consentientes, per præceptum illud Pythagoricum, *ὁμοσφίως χελιδόνας μὴ ἔχειν*, abstinentiam à commercio garrulorum & furrionum intelligunt, quam quidem sententiam corroborat Alexandri historia, quem cum quiescentem Hirundo quæ-